



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

51. De potestate Episcopi circa matrimonium, & voti, ac infiurandi
vinculum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

tium ascendere, si fuerit perfectæ vitæ, & conuersationis.

Cap. Presbyteros qui, *dist. 50.* Glossa ait, posse Episcopum dispensare cum Hæretico, vel Schismatico ad sanam mentem respiciente, vt ad sacros ordines promoueat. Sic etiam Speculator loco supra citato *vers. 29.* Hoc olim iure antiquo locum habebat, sed in *cap. At si Clerici, de iudic. Episcopus non dispensat in criminibus adulterio maioribus.* Item nunc cum Hæreticis, vel Schismaticis solus Papa dispensat, etiam post Decretum Concilij Trid. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* quia per Bullam Pontificiam quotannis legi solitam in die Cœnæ Dominicæ, nemo alius, nisi Papa Hæreticum, vel Schismaticum potest absolueret: non obstante Concilij Generalis Decreto.

Sin item Episcopus seruum, vel Originarium à Domino, vel à Monasterio, cuius est seruus, redimere velit, potest eum ad Ordines promouere, *c. Generalis, & c. Adulter dist. 54. Specul. loco citato vers. 41.* Dispensat quoque Episcopus cum Clerico concubinario, cuius crimen est occultum, *Glossa in c. Quisquam, verb. Damnationis, de tempor. ordinat.*

Cum adultero, vel periuro, vel falso teste Sacerdote, vel Clerico alijs criminibus adulterio minoribus obstricto, dispensat Episcopus, *ca. quæstum de tempor. ordinat. & c. At si Clerici, §. de Adulterijs, de iudic. vt ministrent in susceptis ordinibus, & vt ad vltiores ordines ascendant.* Item cum Presbytero etiam, Diacono, & Subdiacono, qui aliquid de ministerijs Ecclesiæ vendens sacrilegium committit, dispensat vt ministret in ordinibus susceptis, *c. Si quis Presbyter dist. 50.*

Dispensat præterea cum Diacono, qui Missæ sacrificium fecit, vt in suo officio permaneat, & retineat Beneficium quod habebat, *ca. ex litteris, de Clerico non ordinato ministrante.* Dubiæ quæstionis est, Vtrum possit Episcopus dispensare, vt ad Sacerdotium promoueat; *Glossa in eo Capite, in verbo Misericordiam* dicit posse. Idem insinuat Innocentius in *cap. Dilectus, de temporib. Ordinat.*

Sed Hostien. & Gofred. & Panormita. *ibid.* aiunt solum Papam dispensare posse. Idem quoque tradit *Specul. in Specul. iuris p. 1. tit. de dispensationi. §. Nunc, de Episcoporum. vers. 18.* quod probant, quia solus Papa dispensat cum eo, qui suspensus ab ordine, quem habet, ministrat: ergo solus Papa dispensat cum eo, qui ministrat in ordine quocumque. Vnde consequens est, secundum eorundem Auctorum sententiam, vt si quis Laicus in aliquo ordine deseruiat, non possit ad aliquem ordinem promoueri, nisi Papæ auctoritate.

Nunc vero, post Decretum Concilij Trid. *sess. 24. c. 6. de reformat.* possunt Episcopi dispensare in omnibus irregularitatibus, suspensionibus, ex delicto occulto proluentibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs ad forum contentiosum ductis.

CAP. LI.

De potestate Episcopi circa Matrimonium, & Voti, ac Iurisiurandi vinculum.

PRIMO quæritur, An penes Episcopos sit aliqua potestas relaxandi ea quæ iure communi ad Matrimonium spectant? Respondeo, esse angustissimam, & nihilominus, vt docent Angel. *verb. Dispensatio nu. 5. vers. ex quibus concludo.* Syluester. *eod. verbo q. 9. vers. ex quibus concludo.* Nauar. in *Manuali cap. 22. n. 35. vers. dubium autem,* potest Episcopus dispensare in gradibus Matrimonij prohibitis, quando impedimentum est occultum, & ad Papam non patet aditus, & coniuges separari non possunt absque magno scandalo, vt nonnunquam accidit in mulieribus cognitis à consanguineis sui viri ante matrimonium contractum: idem iuris esse putant de eo, qui post votum simplex castitatis matrimonium consummat. Potest,

inquinat, Episcopus dispensare, vt debitum coniugale peccat, quia non est verisimile, Papam velle vt laqueis conscientiarum irretiti maneant: qui præ inopia, aut alia difficultate Romam venire, aut aliquem, eius rei gratia mittere nequeunt.

Possunt etiam episcopi dispensare in impedimentis, quæ impediunt tantum, & non dirimunt matrimonium. *Paludanus in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 19. §. 4. Nauar. in Manuali cap. 22. nu. 84.* excepto voto Castitatis & Religionis, in quo solus Papa dispensat.

Episcopus etiam potest dispensare iustis de causis, vt matrimonium contrahatur, sine denunciationibus publice factis in ecclesia. *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrimon.*

Secundo quæritur, An episcopus possit relaxare, vel commutare voti, aut iurisiurandi vinculum? Ampla facultas est penes episcopos ad relaxandum voti, & iurisiurandi vinculum: possunt enim episcopi, cum iusta subest causa, relaxare, vel permutare omnia vota, præter quinque, in quibus solus Papa dispensat consuetudine receptæ: quæ sunt, votum castitatis perpetuæ: votum simplex ingrediendi Religionem, votum peregrinandi in Terram Sanctam, vel peregrinandi ad limina Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, vel peregrinandi ad Templum Sancti Iacobi Compostell. Dicitur, Castitatis perpetuæ, quia si quis voueat castitatem solum ad tempus, vel voueat non ex toto, sed ex parte castitatem, potest episcopus dispensare: vt si quis promiserit se nunquam ad nuptias transire, non enim vouet simpliciter continentiam: nam si quis tale votum faciat: & deinde cum scorto rem haberit, contra votum non facit: si quis voueat se sacros ordines suscipiturum, potest episcopus dispensare? non enim vouet castitatem, sed sacrorum ordinum susceptionem: *similiter* inquit, Syluester, *votum 4. q. 5. vers. sextum.* secundum Archidiaconum dispensare potest cum eo, qui viuens in religione laxiori vouet arctiorem, & cum eo, qui vouens ingressurum in arctiorem, vt suscipiat laxiorem, nam huiusmodi votum non est Religionis simpliciter, sed certæ Religionis; nec episcopus cum huiusmodi votum commutat, vel relaxat, solum vouentem simpliciter à voto Religionis.

Item possunt episcopi relaxare, vel commutare iurisiurandum promissorium, si iusta subest causa. Vnde S. Thomas 2. 2. *quæst. 89. art. 9. ad tertium.* *Dispensare Episcopi possunt, quando dubium est, an id quod iuratum est, sit licitum, an contra, vt ille an noxium:* Nam si manifeste sit licitum, & vtile, non videtur, inquit, locum habere dispensatio, vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, videlicet ad commune bonum dicentis;

Dispensat etiam episcopus in iureiurando, dolo, metu, aut vi facto, *Innoc. cap. 1. de iureiurando,* dispensat itidem in iureiurando, quod turpe est ex parte eius cui iuratum est. Panormita. in *c. 1. de iureiurando.* Vt si quis iuret alicui se soluturum vsuras.

CAP. LII.

De potestate Episcopi circa pœnas, vel pœnitentias iuris.

EST penes episcopos potestas relaxandi pœnas iuris, & pœnitentias Canonum, siue in iudicio, siue in foro conscientiæ, *cap. tempora 26. q. 7. cap. Panam. c. Medicinam, c. Verbum Dei, c. Mensuram, c. Index, de pœnit. dist. 1.* Hinc est, vt possit episcopus minuere pœnitentiam iniunctam à Canone, ei qui matrem necauit, *cap. Latorem, & ibi Glossa 33. q. 2.*

Potest episcopus pœnas ob crimina, siue delicta iure communi constitutas, minuere, vel commutare, ita vt corporis, vel spirituales pœnam in pecuniariam commutare queat. *Doctores in c. Licet, de pœnitentijs, & remissioni.*

PRIMO quæritur, An possit episcopus causa cognita, pœnitentiam impositam alicui à Summo Pontifice ex